

De electuariis siue antidotis solidis.

C A P. X X V I I.

Electuarium dictum videtur, quod ex electis & præstantioribus fieri soleat. Græci ἀντιδοτα appellarunt. Sunt autem Antidota, monente Galeno, Medicamenta, quæ intra corpus assumpta prauis affectionibus medentur, & grauiissimis casibus auxilio sunt; ut quæ, sicut ait Celsus, recte quidem dantur collisis corporibus vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt, vel in viscerum, laterum, faucium, interiorumque partium doloribus, sed maxime aduersus venena, quæ vel per morsus, vel per cibos, vel per potiones nostris corporibus communicantur. Triplex autem eorum differentia à Galeno proponitur: Alia namque lethalium medicamentorum gratia offeruntur; Alia aduersus bestias, virus ejaculantes valent: Alia denique morbis ex prauo vicetu contractis, opitulantur quæ rursus vel sunt solidæ, vel liquida: Liquida, ut confectiones aromaticæ, lenitiuæ, purgantes & opiatæ. De solidis sermo erit.

b lib. 7. c. 5. Electuarium seu antidotum solidum, quod vulgo confectionem solidam appellant, videntur Græci βγυκέλατον appellasse, buccellatum apud Æginetam, & buccellam apud Aetium & verterunt.

c tetrab. 1. serm. 3. cap. 100. Fuit autem Græcis medicamentum in panis formam concinnatum purgandi vim habens, ut apud Æginetam paratur ex scammoneæ tostæ $\frac{3}{4}$ j. piperis & seminis apii an. $\frac{3}{4}$ j. fœniculi & anisi an. $\frac{3}{4}$ i. mellis lb. i. quæ mediocriter tosta afferuabatur & $\frac{3}{4}$ i. pondere exhibebatur. At Actius scammoneam cū iis, quæ vitium eius emendant, & cum fermento in cli-